



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. De notis quibus volunt sectarii discerni veram Christi Ecclesiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

vera Christi Ecclesia, & ita Deus falsum revelaverit, revelando Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam.

2. Deus olim revelavit Ecclesiam Christi visibilem, pro quocumque tempore existentem, eamque solam fore unam, sanctam, catholicam, & apostolicam. Atqui pariter evidens est veritatem hujus revelationis necessariò connexam esse cum hac veritate, Hæc numero Ecclesia Romana, &c. est vera Christi Ecclesia: cum enim evidens sit hanc numero Ecclesiam Romanam, quam regit Innocentius XIII. eamque solam, esse unam, sanctam, catholicam, & apostolicam; evidens est, aut eam esse veram Christi Ecclesiam, aut Deum falsum revelasse, revelando veram Christi Ecclesiam, pro quocumque tempore existentem, eamque solam, fore unam, sanctam, &c. Ergo, &c.

Dices. Quod Deus non revelavit, non potest credi fide divina. Sed Deus non revelavit hanc numero Ecclesiam Romanam, quæ subest Innocentio XIII. esse veram Christi Ecclesiam. Ergo fide divina credi non potest hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. *Resp.* Deum non quidem revelasse formaliter & explicite hanc numero Ecclesiam Romanam, &c. esse veram Christi Ecclesiam, sed, quod ad actum fidei divinæ sufficit, revelasse æquivalenter: qui enim dixit Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam, eamque & quidem solam fore unam, sanctam, catholicam, & apostolicam, æquivalenter dixit, & hanc, & istam, & illam numero Ecclesiam Romanam pro ea temporis differentia pro qua existit, esse veram Christi Ecclesiam.

Amplius. Qui revelavit Ecclesiam Christi visibilem fore perpetuam, unam, sanctam, catholicam & apostolicam, hoc ipso æquivalenter revelavit pro omni differentia temporis eam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica. Et qui æquivalenter revelavit pro omni differentia temporis eam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, quæ est, &c. hoc ipso æquivalenter revelavit, & hanc, & istam, & illam numero Ecclesiam, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica, pro ea temporis differentia pro qua existit, æquivalenter, inquam, revelavit, pro ea temporis differentia, pro qua existit, veram Christi Ecclesiam esse. Deus igitur æquivalenter revelavit hanc numero Ecclesiam Romanam, quæ nunc regitur ab Innocentio XIII. & est una, sancta, catholica, & apostolica, esse veram Christi Ecclesiam.

RESPONSIO II.

Non solum possumus, sed etiam tenemur fide divina credere hanc numero Ecclesiam, quæ ab Innocentio XIII. regitur, esse veram Christi Ecclesiam.

Prob. 1. Patres censuerunt Ecclesiam illam, quam videbant habere suo tempore prerogativas illas, quas in nostra Ecclesia hoc tempore agnoscimus, fide divina tenendam esse ut veram Christi Ecclesiam; & eos qui eam ut talem agnoscere recusarunt, detestati sunt ut hæreticos. Ergo similiter Ecclesia nostra fide divina tenenda est ut vera Christi Ecclesia; & qui eam ut talem agnoscere recusant, ut hæretici habendi sunt: non enim potior est aliqua ratio pro Ecclesia illa, in qua vixerunt Patres, quam pro nostra; & nostra Ecclesia est una & eadem continuatione, seu est una & eadem moraliter Ecclesia cum illa. Ergo quod hæc numero Ecclesia quæ, &c. sit vera Ecclesia, est unus è nostris fidei articulis, adeoque de fide est non solum quoad potentiam, sed etiam quoad obligationem credendi.

Prob. 2. Tenemur fide divina positivè credere primarios fidei nostræ articulos. Atqui quod hæc numero Ecclesia, quam nunc regit Innocentius XIII. sit vera Christi Ecclesia, est unus è primariis fidei nostræ articulis: nam est unus ex articulis contentis in Symbolo, ubi dicitur: *Et in unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; quibus ver-

bis ad credendum ut veram Ecclesiam proponitur, non Ecclesia abstractè, confusè & generaliter, sed Ecclesia, quam ingredi, in qua manere, quam audire, cui obedire debemus, adeoque hæc numero Ecclesia, quam videmus, & quæ est una, sancta, catholica, & apostolica. Ergo, &c.

Obi. Si de fide est Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam, de fide est aliquos, qui nunc sunt in Romana Ecclesia, habere fidem internam. Falsum conf. Ergo, &c.

Prob. seq. maj. Quia fieri non potest, ut omnia membra veræ Ecclesiæ careant fide interna. *Resp. neg. min.* Nam reverà de fide est, aliquos saltem ex iis, qui nunc sunt in Ecclesia Romana, habere fidem internam; quamvis de fide non sit, hos vel illos determinatè fidem internam habere: sicut de fide est, aliquos ex iis, qui nunc sunt in Ecclesia Romana, esse justos, item aliquos esse prædestinatos; quamvis non sit de fide, hos vel illos determinatè justos esse, hos vel illos determinatè esse prædestinatos.

Quæres. Utrum salus æterna obtineri possit extra Ecclesiam Romanam?

Resp. Non posse. Nam nemo salvari potest extra veram Ecclesiam. Atqui Ecclesia Romana, eaque sola, est vera Ecclesia. Ergo, &c. Minor superius demonstrata est. *Prob. maj.* Ex SS. Patribus, pro quibus omnibus fuit S. Cyprianus lib. de unit. Eccles. ubi sic loquitur: *Hæc (vera Ecclesia) nos Deo servat, hæc filios regno, quos generavit, adsignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur: Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere, qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.* Et S. Augustinus lib. de unit. Eccles. contra Donatistas cap. 16. ubi sic ait: *Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.*

ARTICULUS VI.

De notis, quibus volunt sectarii discerni veram Christi Ecclesiam.

Nota. Septem notas veræ Ecclesiæ proponit Lutherus in libro de Conciliis & Ecclesia, videlicet veram & incorruptam prædicationem Evangelii, legitimam Baptismi administrationem, legitimum usum Eucharistiæ, legitimum usum clavium, legitimam electionem ministrorum, qui doceant, & sacramenta administrent, orationem publicam, psalmodiam & catechismum, sed lingua vulgari; mysterium Crucis, seu tribulationes intus & extra; ita ut intus sit castitas, foris paupertas, contemptus, & habeantur ab hæreticis hæretici, cæcædæmones, &c. Duas tantum ponunt Brentius & Calvinus, sed quibus quinque priores Lutheri continentur, nempe sinceram fidei doctrinam, & legitimum usum sacramentorum. His duabus notis duas alias annumerant Centuriatores, constantiam scilicet in confessione fidei, seu perseverantiam; & obedientiam erga ministros verbi quatenus verbum ipsum administrent.

Nota iterum. Apparet sectarios, ad discernendam veram Ecclesiam ex iis quæ in Symbolo Constantinopolitano habentur, notis, nullam recipere, adeoque nullam recipere ex iis notis, quibus potissimum vera Christi Ecclesia sese semper ab omnibus aliis sectis discrevit. Quo facto, velint, nolint, consentiunt, notarum illarum nullam sectæ suæ convenire, & ita convincuntur apud se nec habere, nec habere posse veram Christi Ecclesiam; nec tam de vera Christi Ecclesia discernenda, quam de ea qualicumque modo ad se trahenda laborare, ne scilicet appareant,

reant, quod revera sunt, haeretici, atque à corpore Christi, quod est Ecclesia, separati velut membra mortua & putrida. Sed contra illos sit

PROPOSITIO I.

Legitimus usus sacramentorum nec est, nec potest esse nota vera Ecclesia.

Prob. Ad notam verae Ecclesiae tria saltem requiruntur, videlicet ut sit propria vera Ecclesia, & illi soli conveniat; ut sit notior, & ad cognoscendum facilius, quam ipsa vera Ecclesia; ut talis sit, qualem sibi sectae aliae facile, & impunè non possint arrogare. Atqui legitimus usus sacramentorum non habet has conditiones, imò nullam ex eis habet. Ergo, &c.

Major facile ostenditur. Nam quod non est proprium verae Ecclesiae, nec illi soli convenit, ad eam ab aliis omnibus sectis discernendam valere non potest. Item quod obscurius, & ad discernendum difficilius est, quam vera Ecclesia, satis ineptè adhibetur ad cognoscendam veram Ecclesiam, nec ipsum veram Ecclesiam, sed potius vera Ecclesia ipsius nota dici debet. Item hoc ipso quòd aliquid tale est, ut illud sibi facile & impunè arrogare possint aliae sectae, hoc ipso, inquam, ad veram Ecclesiam probandam insufficiens esse manifestum est.

Prob. itaque min. per patres. Et 1. quidem, legitimus usus sacramentorum non est quid ita proprium verae Ecclesiae, ut illi soli conveniat. Non convenit puris schismaticis, qui tamen non sunt de vera Ecclesia. Item convenit aliquibus haeticis, iis scilicet, qui circa sacramentorum usum non errant. Tales fuerunt Pelagiani, qui etiam, secundum Lutheranos & Calvinistas, haeretici fuerunt, & tamen sincere tractarunt omnia sacramenta: nihil enim in hac parte in eis unquam reprehenderunt Patres, Concilia, & Summi Pontifices. At haeretici omnes sunt extra veram Ecclesiam, adeoque extra veram Ecclesiam potest esse legitimus usus sacramentorum. E contra in ipsa vera Ecclesia, non quidem totaliter, sed partialiter sumpta, potest esse usus aliquorum sacramentorum illegitimus, ut patet ex Africana Ecclesia, quae tempore S. Cypriani non purè & sincere tractavit sacramentum Baptismi, nec tamen idcirco desit esse pars universalis Ecclesiae, quia nec idcirco se ipsam separavit, ut ex verbis S. Cypriani probat S. Augustinus lib. 6. de Baptismo c. 7. nec idcirco aliunde separata fuerit.

2. Usus legitimus sacramentorum non est notior, quam vera Ecclesia, sed econtra vera Ecclesia notior est, quam legitimus usus sacramentorum. Imò quis sit usus sacramentorum legitimus, innotescere nobis non potest nisi per veram Ecclesiam. Unde vel oportet per notas alias à nobis prius & facilius veram Ecclesiam cognosci posse; vel possibile non est, à nobis certò cognosci quis sit legitimus sacramentorum usus. Et verò legitimum sacramentorum usum certò cognoscere non possumus, nisi per Scripturas divinas, & apostolicas traditiones, prius certò cognitās; & quamnam sint Scripturae verè divinae, & traditiones verè apostolicae, certò cognoscere non possumus, nisi per veram Ecclesiam.

3. Legitimum sacramentorum usum arrogant sibi haeretici omnes, & impunè sibi arrogant, nisi contra illos adhibeatur auctoritas verae Ecclesiae, prius aliunde certò cognita, per characteres scilicet illos, quibus eam Patres & Symbola discernunt, & à quibus tantoperè abhorrent Lutherani, & Calvinistae, quia per eos veram Ecclesiam apud se non habere, convincuntur. Hinc Anabaptistae, quos etiam Lutherani & Calvinistae execrantur ut haeticos, habere se legitimum sacramentorum usum mentientes, convinci nullatenus possunt à Lutheranis & Calvinistis. Et verò cum Lutherani & Calvinistae dicunt apud se, non apud Anabaptistas, esse veram Scripturam intelligentiam, adeoque apud se, non apud Anabaptistas, esse legitimum usum sacramentorum; pari

jure Anabaptistae dicunt apud se, non apud Lutheranos & Calvinistas, esse veram Scripturam intelligentiam, &c. Et cum Lutherani & Calvinistae ulterius Anabaptistis opponunt internam suam persuasionem, pari jure internam suam persuasionem Lutheranis & Calvinistis opponunt Anabaptistae.

PROPOSITIO II.

Sincera fidei doctrina nec est, nec potest esse nota vera Ecclesia.

Prob. Cum sectarii dicunt sinceram fidei doctrinam esse notam verae Ecclesiae, vel hoc intelligunt de sincera fidei doctrina, secundum aliquam sui partem tantum sumpta, vel hoc intelligunt de sincera fidei doctrina universa; hoc est, vel sinceram ex aliqua sui parte doctrinam fidei, vel saltem sinceram ex omni parte assignant, ut notam verae Ecclesiae. Atqui sincera fidei doctrina neque primo, neque secundo modo sumpta, est aut potest esse vera Ecclesia nota. Ergo, &c.

Prob. 1. part. min. Nempe quòd doctrina fidei ex aliqua sui tantum parte incorrupta, nec sit, nec possit esse nota vera Ecclesia. Illud nec est, nec potest esse nota vera Ecclesia, per quod vera Ecclesia discerni non potest ab aliis sectis. Atqui vera Ecclesia ab aliis sectis discerni non potest per doctrinam fidei ex aliqua sui parte incorruptam. Ergo, &c. Major patet ex terminis. *Prob. min.* Per illud vera Ecclesia ab aliis sectis discerni non potest, quod illi commune est cum sectis aliis omnibus. Atqui habere doctrinam fidei ex aliqua sui parte incorruptam, verae Ecclesiae commune est cum sectis aliis omnibus. Ergo, &c. Major patet ex terminis. Minor est etiam evidens, ex eo quòd nulli sunt haeretici, qui non teneant aliqua vera fidei dogmata.

Confirmatur. Quia si habere doctrinam fidei ex aliqua sui parte sinceram, est nota vera Ecclesia, ubicumque est doctrina fidei ex aliqua sui parte sincera, ibi est vera Ecclesia, ut patet ex terminis; atque ita vera Ecclesia est apud omnes haeticos; cum nulli sint haeretici, apud quos non sit doctrina fidei ex aliqua sui parte sincera. Atqui secundum Scripturam & Patres, manifesti haeretici omnes sunt extra veram Ecclesiam. Audiamus hac de re unum Augustinum lib. 18. de Civit. cap. 51. *Qui*, inquit, *in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si corrupti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaeque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt: haeretici sunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimici.* Juxta S. Doctorem igitur, haeretici omnes, etiam ii qui vel unicum perversum dogma tenent, sunt extra veram Christi Ecclesiam.

Prob. 2. pars. Nempe quòd doctrina fidei ex omni parte incorrupta, nec sit, nec possit esse nota vera Ecclesia. Nota vera Ecclesia debet esse accommodata omni generi & conditioni hominum. Atqui talis non est doctrina fidei ex omni parte incorrupta. Ergo, &c. Major certa est: cum enim omnes, ut salutem assequantur, teneantur ingredi veram Ecclesiam, si in ea nondum sunt, vel in ea permanere, si jam in ea sunt, debent omnes posse moraliter & humanitè attingere notas, quibus discernitur à sectis aliis omnibus, quae se christianas nuncupant, & apud se veram Christi Ecclesiam esse mentiuntur. Minor verò nonnisi inverecundè negari potest: quis enim, nisi omnes verecundiae fines praeiterit, dixerit omne genus hominum, rusticos scilicet, mulierculas, opifices, & illiteratos quosque, moraliter & humanitè posse discernere ubi sit doctrina fidei ex omni parte incorrupta, pervidendo scilicet omnes omnino sincere doctrinae fidei partes? Certè, ut satis docet experientia, sic omnes sincere doctrinae fidei partes pervidere, vix, ac ne vix quidem possunt doctores eximii, postquam totum ferme vitae tempus in doctrinae christianae studio posuerunt. Præterea, ut quis omnes sincere doctrinae

doctrinae fidei partes pervidere possit, debet saltem Scripturas omnes divinas à non divinis, omnesque omnium Scripturarum divinarum sensus genuinos ab adulterinis posse discernere. At quòd hoc moraliter & humanitè possint rustici, opifices, mulierculæ, & illiterati, quique, asserere summæ impudentiæ est & insanæ.

Confirm. 1. Si doctrina fidei ex omni parte incorrupta, est nota veræ Ecclesiæ, vera Ecclesia non potest certò cognosci, nisi per doctrinam fidei ex omni parte incorruptam, prius certò cognitam. Falsum & absurdum conf. Nam si vera Ecclesia non potest certò cognosci, nisi per doctrinam fidei, &c. vel non accepit munus docendi, quod apertè repugnat Scripturis divinis; vel planè inutiliter accepit: non enim potest docere nisi eos, à quibus certò cognoscitur, adeoque si non certò cognoscitur, nisi per doctrinam fidei, &c. non potest docere nisi eos, qui jam aliunde omnes omninò sinceræ doctrinæ fidei partes perviderunt, quique proinde ejus doctrina minimè indigent.

Confirm. 2. Nota veræ Ecclesiæ debet esse ad cognoscendum facilior, quàm vera Ecclesia: eatenus enim una res rectè dicitur esse nota alterius, quatenus facilius cognita nos ducit in notitiam alterius, quæ abstrusior est, & cognitu difficilior. Atqui doctrina fidei ex omni parte incorrupta, non facilior est, sed longè difficilior ad cognoscendum, quàm vera Ecclesia: longè enim facilius est illam hominum societatem, cui omnes veræ Ecclesiæ characteres in Scriptura expressi conveniunt, dignoscere, quàm omnes omninò sinceræ doctrinæ fidei partes pervidere, ut per se clarum est. Ergo doctrina fidei ex omni parte incorrupta, malè & ineptè assignatur pro nota veræ Ecclesiæ.

Confirm. 3. Illud malè & ineptè assignatur pro nota veræ Ecclesiæ, quod nobis certò innotescere non potest, nisi per veram Ecclesiam, aliunde certò cognitam, ut patet ex terminis. Atqui doctrina fidei sincera universa nonnisi per veram Ecclesiam nobis certò innotescere potest. Ergo, &c.

Prob. min. 1. Ex S. Irenæo lib. 3. cap. 4. ubi sic ait: *Non oportet querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis quicumque velit,umat ex ea potum vite ... Quid enim? & si quibus de aliqua modica questione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis de præsentis questione sumere quod certum & reliquum est?* 2. Ex Tertull. lib. de præscript. c. 21. ubi sic loquitur: *Quid autem (Apostoli) prædicaverint ... & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolâ postea.* Ex S. Augustino in Plal. 57. *In ventre, inquit, Ecclesia veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur. Necesse est, inquam, ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.*

Igitur juxta S. Irenæum, vera Ecclesia est sincera doctrinæ fidei depositaria. At depositum nonnisi per depositarium ostendi potest. Item, juxta S. Augustinum, sincera fidei doctrina latet in sinu veræ Ecclesiæ recondita. At quod in sinu veræ Ecclesiæ reconditum latet, non potest nisi per veram Ecclesiam certò innotescere. Ergo, &c. Ratio à priori, quam suggerit Tertullianus loco citato, est quia sincera fidei doctrina non potest certò cognosci, nisi certò cognoscantur traditiones veræ, & veræ Scripturæ divinæ, cum suis veris sensibus. Atqui hæc omnia non possunt certò cognosci nisi per veram Ecclesiam, quæ idcirco dicitur magistra veritatis, columna & firmamentum veritatis, &c. Ergo, &c.

Porro non hic immorabimur in refellendis notis aliis, quibus veram Ecclesiam discerni posse volunt sectarii; quia vel in duabus refutatis comprehenduntur, vel veræ Ecclesiæ communes sunt cum omnibus aliis sectis, quæ se christianas nuncupant.

Obj. Tenere doctrinam fidei ex omni parte puram & integram, est prerogativa veræ Ecclesiæ. Ergo doctrina fidei ex omni parte pura & integra potest esse, & est nota veræ Ecclesiæ. *Resp. neg. conf.* Non enim aliquid esse est nota veræ Ecclesiæ hoc ipso præcisè quòd est veræ Ecclesiæ prerogativa; quia potest aliquid esse veræ Ecclesiæ prerogativa, & tamen non habere condiciones requisitas ad notam veræ Ecclesiæ. Una autem harum conditionum est, quòd prerogativa veræ Ecclesiæ sit ad cognoscendum facilior, quàm ipsa vera Ecclesia: nam si vera Ecclesia in ratione scilicet veræ Ecclesiæ, ad cognoscendum facilior est, quàm illa prerogativa, non illa prerogativa veræ Ecclesiæ, sed vera Ecclesia prerogativa illius nota est. At doctrina fidei ex omni parte pura & integra, non est ad cognoscendum facilior, sed longè difficilior, quàm vera Ecclesia in ratione veræ Ecclesiæ. Ergo vera Ecclesia doctrinæ fidei ex omni parte pura & integræ, non doctrina fidei ex omni parte pura & integræ veræ Ecclesiæ est nota.

Confirmatur & illustratur hæc doctrina. Quòd vera Ecclesia sit Ecclesia, extra quam nemo salvari potest, tam est proprietas illius quarto modo, quàm quòd sit Ecclesia, in qua tenetur & prædicatur doctrina fidei ex omni parte pura & integræ; & tamen vera Ecclesia in ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, nec est, nec potest esse nota sui ipsius in ratione veræ Ecclesiæ. Ratio est, quia vera Ecclesia in ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, non est notior, sed obscurior se ipsa in ratione veræ Ecclesiæ: unde non scimus hunc cætum hominum esse veram Ecclesiam, quia scimus illum esse Ecclesiam, extra quam nemo salvatur; sed scimus hunc cætum hominum esse Ecclesiam, extra quam nemo salvatur, quia scimus illum esse veram Ecclesiam; & profecò deciperet, qui quarenti quo certò indicio agnosci possit vera Ecclesia, responderet agnosci posse & debere ex eo quòd extra illam nemo salvetur.

Quod autem hic dicimus de vera Ecclesia sub ratione Ecclesiæ, extra quam nemo salvatur, pariter dicendum est de vera Ecclesia sub ratione tenentis & prædicantis doctrinam fidei ex omni parte puram & integram: cum non magis sub una ratione, quàm sub altera facilis sit ad cognoscendum, nec magis sub una ratione, quàm sub alia possit ducere in certam notitiam sui ut veræ Ecclesiæ.

Obj. SS. Patres pro nota veræ Ecclesiæ assignant Scripturas. Sed hoc est, pro nota veræ Ecclesiæ assignare doctrinam fidei ex omni parte integram. Ergo, &c. R. Omisssa minore, quæ falsò supponit universam fidei doctrinam in Scripturis divinis contineri, neg. maj. Nam si Patres pro nota veræ Ecclesiæ assignant Scripturas divinas, vel quia volunt eam ostendi posse per hoc quòd Scripturas omnes divinas recipit, vel quia volunt eam ostendi posse per hoc quòd Scripturas divinas ubique rectè interpretatur. Neutrum autem unquam probabitur.

Porro quamvis prerogativa sit veræ Ecclesiæ, quòd recipiat omnes Scripturas divinas, easque rectè interpretetur ubique, sub neutra tamen ratione potest esse nota sui ipsius sub ratione veræ Ecclesiæ. Ratio est, quia vera Ecclesia sub ratione veræ Ecclesiæ notior est se ipsa sub ratione recipientis omnes Scripturas divinas, & eas ubique rectè interpretantis. Imò vera Ecclesia non potest nobis innotescere sub ratione hac utraque, nisi prius nobis innotescat sub ratione veræ Ecclesiæ: nec certò scimus aut scire possumus hunc cætum hominum Scripturas omnes divinas recipere, easque ubique interpretari rectè, nisi quia certò scimus, aut scire possumus hunc cætum hominum esse veram Ecclesiam, cujus prerogativa est, quòd Scripturas omnes divinas recipiat, easque rectè interpretetur ubique.

Patres itaque non Scripturas divinas assignant pro nota veræ Ecclesiæ, sed de ea disputantes contra hæreticos, volunt eam esse ab omnibus aliis sectis discernendam per certos characteres ei soli convenientes, easque notiores, putà per hoc quòd sit perpetua, una, sancta,

sancta, ubique diffusa, & ab Apostolis fundata. Qui veræ Ecclesiæ characteres clare exprimuntur in Scripturis illis, quas recipiunt hæretici, contra quos Patres disputant. Hanc veræ Ecclesiæ discernendæ viam, quam inierunt Patres, nos quoque inimus; & cum eam ingredi nolunt hæretici, se extra veram Ecclesiam vagari, manifestè ostendunt.

Obj. Notæ, quas assignant hæretici, si non separatim, saltem collectim sumptæ, sufficiunt ad ostendendam veram Ecclesiam. *Resp.* neg. Nam notæ illæ collectim sumptæ, faciunt totum partim ignotius ipsa vera Ecclesia, partim veræ Ecclesiæ commune cum aliis sectis. Talem autem collectionem ad ostendendam veram Ecclesiam prorsus ineptam esse nemo non videt.

DISPUTATIO VIII.

De Romano Pontifice, & Conciliis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Petrus à Christo primatum in universa Ecclesia acceperit.

Negat Lutherus, & cum eo negant alii omnes sectarii, qui post eum adversus Ecclesiam insurrexere. Assumunt verò catholici doctores omnes, quibus præeunt Patres omnes tam græci, quam latini. Unde B. Petri primatus negari non potest sine manifesta, & eaque perniciosissima hæresi, quam refutabimus sequentibus paragraphis.

§. I.

Probatur B. Petri primatus ex verbis Christi Matth. cap. 16.

Matth. cap. 16. Christus Petrum divinitatem ejus aperte confessum, sic alloquitur: *Beatus es Simon Bar-jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in celis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Atqui Christus his verbis sub metaphora ædificii & fundamenti Petro in præmium confessionis ejus promittit primatum universæ Ecclesiæ: nam quod est fundamentum in ædificio, idest, caput in corpore, pater-familias in domo, rector in civitate, & rex in regno.

Confirm. Ex verbis Christi manifestum est, Ecclesiam incumbere Petro, sicut ædificium incumbit fundamento, seu Petrum prestare Ecclesiæ, quod fundamentum præstat ædificio. Atqui fundamentum regit & sustentat ædificium. Ergo Petrus regit & sustentat Ecclesiam. Sed, hoc est, habere Ecclesiæ primatum. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit Gregorius Magnus epistolarum lib. 4. c. 76. ubi sic ait: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissæ est: ipse quippe... dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.*

Obj. Hoc loco per to petram malè intelligitur Petrus, sed intelligi debet Christus, vel fidei confessio, vel omnis homo fidelis. *Resp.* neg. Nam quod intelligendus sit Petrus, satis superque constat ex Patribus: cum omnes, unico fortasse excepto, Petrum intelligant, pro quo consuli possunt Bellarminus, & Valentinus. Nobis hic sufficit ex latinis Tertull. lib. de præscript. cap. 22. ubi dicit: *Latuit aliquid Petrum, edificande Ecclesiæ petram dictum?* Et ex græcis Gregorius Nazianz. orat. de moderatione in disputatione servanda, ubi hæc habet de Petro: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei sua credita habeat.*

Dices 1. Si Christus per petram Petrum intellexif-

set, non dixisset: *Tu es Petrus*, sed, *Tu es petra*. *Resp.* Christum, dixisse, *Tu es petra*, & super hanc petram, &c. Cum enim syriacè loqueretur, dixit, *Tu es cephas*, & super hoc cepha, &c. Cephas autem syriaca lingua significat rupem seu petram durissimam.

At inquires. Si ita est, quare latinus interpres non vertit, *Tu es petra*? *Resp.* Non vertisse, quia non vertit ex syriaco, sed ex græco codice, & græcus codex habet: *ὁ εἰ πέτρας, ὃ ἐστὶν τὸ αὐτὸν τῇ πέτρᾳ*, &c. Sic autem vertit græcus interpres, quia græca lingua lapis æquè significatur per πέτρας & πέτρα, & interpreti commodius visum est homini nomen masculinum tribuere, & dicere, non *ὁ εἰ πέτρας*, sed *ὁ εἰ πέτρας*, noluit tamen vertere *ὃ ἐστὶν τῇ πέτρᾳ*, sed vertit *ὃ ἐστὶν τῇ πέτρᾳ* ad vitandam ambiguitatem. Hæc autem vox πέτρα, non aliud quàm lapidem durissimum significat; unde ambigua esse non potest.

Dicent. Origen. tract. 1. in Matth. exponens hæc verba, *Super hanc petram*, dicit petram esse eum omnem, qui Christi imitator est: *Nomen*, inquit, *ducunt à petra, quicumque sunt imitatores Christi, qui est petra spiritualis, comitans eos, qui salvi sunt, ut ex ea bibant potum spiritualem.* Superius dixerat: *Petra est quisquis Christi discipulus... & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina.* In unoquoque enim perfecto... à Deo edificatur Ecclesia. Quod si super unum illum Petrum tantum existimas edificari totam Ecclesiam, quid diciturus es de Joanne filio tonitru, & Apostolorum unoquoque? R. Origenem hic illud, *Super hanc petram*, non litteraliter, sed allegoricè interpretari de iis, qui discipuli sunt & imitatores Christi, cujus doctrina & gratia in proposito ipsum sequendi, & piè sancteque vivendi confirmantur. At alibi, nempe hom. 5. in Exod. verba illa, *Super hanc petram*, litteraliter interpretans, ea de solo Petro intelligit: sic enim habet: *Vide magno illi Ecclesia fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino. Modica*, inquit, *si dei, quare dubitasti?*

Dices. S. Augustinus illud, *Super hanc petram*, censuit potius de Christo, quàm de Petro intelligendum esse, ut patet ex lib. 1. retract. cap. 21. ubi sic loquitur: *In hoc libro (quem contra epistolam Donati scripserat) dixi in quodam loco de Apostola Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra, Ecclesia canente, culpam diluit. Sed scio me postea sepius sic exposuisse quod à Domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus, Filius Dei vivi.*

Resp. 1. S. Augustinum primam interpretationem sic anteponebat alteri, ut hanc non contemnat, sed unicuique liberum relinquat alterutram assumere: nam paulò inferius sic prosequitur: *Harum autem duarum sententiarum qua sit probabilior, eligat lector.*

2. S. Augustinum primam interpretationem alteri anteponebat ex ignorantia linguæ syriacæ & græcæ: nam reddens rationem majoris suæ in primam interpretationem propensionis, sic ait ibidem: *Non enim dictum est illi (Apostolo) Tu es petra, sed, Tu es Petrus; petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.* Nesciebat igitur Christum dixisse, *Tu es cephas*, aut saltem to cephas syriacè rupem seu lapidem significare. Item nesciebat rupem seu lapidem æquè significari per hæc vocabula πέτρας & πέτρα.

3. Nihilominus S. Doctorem agnovisse primatum B. Petri, ut patet v.g. ex lib. 2. de bapt. c. 1. ubi hæc leguntur: *Ecce ubi commemorat Cyprianus... Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præminet, &c.* Et inferius ista: *Quis enim nescit illum Apostolatus (in Petro) principatum concili-*